




enen. enen.
test / test / so.
h liebq lieben /
mein meinen Kra
y dienedienen / und
iblick iblick darvo
meinmeinen
ß aller alle
id bi id bi
oll ll



63
SUMMUM HONOREM
IN
PROMOTIONE DOCTORALI
VIRI

MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI,
EXCELLENTISSIMI,

DN.

JOH. BENEDICTI
CARPZOVII,

SS. THEOL. LICENTIATI, S. LING. PRO-
FESSORIS CELEBERRIMI ET AD D. THOMÆ
ECCLESIASTIS MERITISSIMI,

DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS ET
HOSPITIS SUI

SUMME DEVENERANDI

IN

OBSERVANTIÆ PIGNUS

LÆTITIÆ TESSERAM

INTER

PUBLICA VOTA

GRATULATUR

JOHANNES *Bitte* /
PHIL. STUD.

LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI,

M. DC. LXXIIX.

Bona dies!

in quâ

Non amplius augurari, sed palam pronunciare licet

JOHANNES BENEDICTUS CARPZOV
DOCTOR

Gratum elogium,

cujus

totum eloqvium

unum

vel Nomen, vel dignitas

ex voto pro voto

absolvit.

Etenim

in uno CARPZOVII nomine

habes breve

magni Nominis,

Fausti ominis,

Summi honoris

compendium;

in uno DOCTORIS titulo

augustum

submissæ venerationis,

lætissimæ gratulationis,

faustissimæ apprecationis

theatrum.

Age igitur Musa

in CARPZOVIUM,

qvem

DEus & decus

eminentem jam posuit,

attende mentem & oculos;

&

si bene cupis

sine invidiâ avidè mirare

prius

CARPZOVIANUM FATUM,

qvod est

ut

nec unius unqvam folius meminisse valeamus,

qvini omnes commendemus,

nec unum solum commendare

qvini omnium meminerimus.

Cùm

Cùm scilicet
unius pictura
omnium sit imago
&
unius Laus
omnium elogium.
Porro mirare

CARPZOVIANUM NOMEN,

quod
ut Deus illud
naturæ catalogo eximeret,
fecit in Miraculum
ita, ut

quot audis CARPZOVI Nomina,
tot concipias miracula,
quorum natura est
paucitas,

& ne
humanitati adscriberentur,
fecit Oracula,
Quibus
mysteria Scripturæ
&
Sacra legum
concredidit

Cùm
illos prius formaverit
pari æmulatione,
pari felicitate,
pari laude

ARTABANOS in Curiis,
SAMUELES in Templis,
illos, ut
servirent Principi & Patriæ
duplici oculo, duplici brachio, duplici basi
Consilio & industria,

Hos, ut
Deo & Ecclesiæ
duplici studio, duplici zelo
Justitiæ & Pietatis.

) (2

Ve-

Verum
en
Dei gratiam
&
Gratiæ abundantiam!
quæ
nec Ecclesiam voluit esse beatam, quin Resp. suum haberet
BENEDICTUM,
nec Remp. salvam, quin Ecclesia de suo gratularetur
CARPZOVIO.

Sic Deus
Ecclesiæ & Foro, Religioni & justitiæ
prospexit
ut utriusquæ
sæpe in UNO
CARPZOVIOS faceret sacerdotes,
Viros
ad utrumquæ pios & paratos,
Viros
in utroque per doctrinam Magnos,
Viros
in utroque per successionem æterni Nominis,
quæ
nobis semper reddit
Eosdem.
Ex quibus
TE

JOHAN. BENEDICTUM CARPZOVIVM,

Genere & Genio inclytum,
Venerandi Parentis
secundam Prolem, & primam spem
Gratuladundi
Patrem felicissimum, Professore celeberrimum, Præconem desidera-
tissimum &, quam felicitatem honos consummat DO-
CTOREM æstimatissimum
latè intuemur
Veluti
Virtutum, quas ex Parentibus collegisti
Epitomen
Laudum, quas hæreditario accepisti
Exemplar
in hoc mirandum
quod dum
Patrem nomine, Avum virtutibus, Proavum aspectu, omnes Pietate

exprimis
omnes sic expresseris,
ut
TE vivente, neminem Eorum periisse putemus.

Cum enim
Eorum mores tua pueritia,
Eruditionem tua Juventus,
Merita, tua adolescentia,
Honores, tua virilis ætas
ostendit, commendat, æquat, superat,
facile credimus,
Tuos annos nunquam teneros, Virtutem semper maturam,
Vitam nunquam in juventute, mores semper in senio
Facta nunquam levia, dicta semper gravia.

Hinc
si potes
respice tuas laudes,
cum TE profiteamur,
PHILOSOPHUM integerrimæ vitæ,
Qui sic didicisti
Philosophiam,
ut,
quæ fuerint verba, facta sint opera.
Sic docuisti
per exempla, præcepta, usum,
ut, qui ad tuas lectiones venit, quotidie secum aliquid boni tulerit.

Cum
eam explicaveris Philosophiam, quæ non fruendum, sed
utendum Virtutibus docuerit,
ostendisti
optimam, non jucundissimam sequendam Vitam,
persvasisti
non eam esse veram felicitatem, quam non virtus fulciat,
evicisti
non scholæ, sed vitæ discendum.

Philosophiam excipit PHILOGIA,

Cui
TE totum discipulum dedicasti,
ejus
Professor celeberrimus
cujus amor
TE cepit Juvenem
& Juvenem perfecit.
Certè
nobilissima indoles,
quæ non prius magna promisit, quam simul majora dederit.

non expectasti
ætatem,quam non annis, sed meritis distingveres.
Cum ea Juvenis scriberes, quæ Senex vix assequi posset,
ea Posteritati commendares, quæ non nisi seculum attingens
utilitati consecrata intelliget,

& an
gratuletur magis, quàm miretur,
hæsitabit.

Ego
Tuas laudes conticebo,
quas,

VIR omni studiorum genere exercitissimus,
in Tui encomium complecti non potest,
Cum Te

Philologum exquisiti ingenii commendat & THEOLOGUM
maximæ utilitatis auguratur:

Nec desistit spes.

Succesisti enim tandem

Parenti in Virtutem, in laborem, in æstimationem,
Vir publicæ utilitati natus.

Gregorius labore Ambrosius suavitate, Augustinus ingenio,
Chryostomus eloquentiâ, Innocentius pietate, Petrus constantiâ.

Paucis:

Perfectus Theologus, optimus Pastor.
tam charus singulis, quàm utilis omnibus.

Quem

Doctrina notum, Virtus clarum, Conscientia securum facit.

Qui

In doctrina salubris veritate Doctore,
In Vitâ sanctus prævio Christo.
In patientiâ constans roborante Spiritu.

Qui, dum

Tua vita ceterorum regula, exemplum, flamma, doctrina
ornamentum, ipsum silentium censura

Omnes æque sinceræ Doctrinæ ac sanctæ
conversationis lacte imbuis

Bonus Pastor,

Qui

Errantes oves ad ovile reducis,
langventes reficis
impuras mundas,
contumaces corripis,

Fidelis Pastor,

Qui

præesse, & prodesse vis omnibus

&

&
Cum Samuele non Tibi, sed Populo consulis,
cum Paulo non nostra, sed nos quæris,
cum Petro non lucrum, se lavacrum cupis.

Prudens Pastor,

Qvi
ut fortunas tuas extra fortunam ponas,
in pauperum sinum abdis
Qvi, dum in Ecclesia agendi, patiendiqve invenis occasionem,
utriqve TE sistis Virum
hoc tamen discrimine,
ut
utrâqve fortunâ exerceri

Legem
levantem verò primere,
prementem excutere
Virtutem existimes.

Eruditus Pastor,

Qvi
hominem excedis, qvi ad divina exurgis,
Sapientiam discis, dum doces Sanctimoniam,
publica reddis, quæ arcana meditatus.

Patiens Pastor:

Qvi
Injurias pulveri, beneficia marmori inscribis,
& inimicis remittendo, iis superiorem
pro istis orando, DEO similem TE reddis.

Perfectus Pastor,

Cujus
Lavori nihil indomitum
promptitudini nihil laboriosum,
Constantiæ nihil robustum,
Animo nihil sublime,
Virtuti nihil inaccessum,
Pietati nihil inexpertum.

Tandem
Optimus Pastor,

Qvi
vel ipse Angelus

&

Seraphinus, h. e. Amoris & misericordiæ Nuncius,
Cherubinus, h. e. Justitiæ & Sapientiæ testis,
Vel nomen, & officium cum Angelo commutasti,

ut Hi
Prædicatores Evangelii,
Tu
Angelus Evangelii.

ô LIPSIA
habes optimum Pastorem,
ut diu habeas,
roga,
Sed

Subsiste tandem calame
in enumeratione virtutum,
lassaris, non sequeris:
Tam alta Virtus imas laudes non audit.
Verum, en !

Templum Honoris
penes
Templum Virtutis,
sive autem
Gloriam dices virtutis umbram,
sive
Honorem laboris præmium,
sive
Dignitatem studiorum messem
dicam

Gloriam, honorem, dignitatem
in CARPZOVIO.

Meritum
quod
Virtuti jam diu debitum,
nunc exsolvitur.

Cum
proclamatur, acclamatur, conclamatur

JOHANNES BENEDICTUS CARPZOV
DOCTOR.

Quibus publicis Votis
Patriæ, Academiæ, Ecclesiæ, Affinitatis
& privata suspiria

addam
sine facundiâ,
sine ornatu,
sine prolixitate,
cum

Votum verbum
absolvat:

Deus Omnipotens Conservet Te Omnibus Redundantem
sic hodiè

& semper erit

CARPZOVII

Bona dies!

